



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 92. Regnum eum non est de hoc mundo. v. 36.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

is post biduum ex custodibus sepulchri suis militibus discere poterat.

Domine Iesu Christe, sol iustitiae & veritatis, omnem hominem venturum in hunc mundum illuminans, bene video, quod valde illuminaveris Pilatum, per sufficientissimam gratiam tuam, & bene video quod adhuc plus potueris ei prestare, quod tamen sapientissime non prestitisti, idcirco propono firmissime acquiescere in Ecclesiae sanctae tuae Romanae iudicio, & doctrina, quae docet omnibus dari sufficientem gratiam ad salutem suam: dari tamen multis etiam gratias specialiores praeter aliis, & nemini dando vel non dando fieri iniuriam. Hoc video clare in Pilato, qui cum gratia quam accepit salvari potuit a peccato mala damnationis, & tamen propter Passiones suas postea obortas salvari ab illo declinavit: Profitetur cum Innocentio X. & Alexandro VII. Gratia tuae, posse hominem resistere, profiteor hominem libere adherere gratiae, & eam deserere. In hoc Pontificius sum, non alterius sectae admirator.

§. 92. Regnum meum non est de hoc mundo. v. 36.

Notum fere est quid illo verbo Dominus voluerit, obiter dico tamen. 1. non ait, Regnum meum non est in hoc mundo, est enim, in mundo & Ecclesia eius & naturale imperium in omnes creaturas. 2. dicit, non est de hoc mundo, quia non quare tenere hunc mundum & occupare uti Alexander Magnus, & Iulius Caesar & Augustus quaesierunt, & uti illi regnarunt, & tenuerunt. Non sic, neque uti Tiberius modo tene mundi Imperium, neque uti tu Pilate provinciam Iudaicam. Nequaquam, meum regnum seu imperium est diversa admodum rationis & ordinis, non habent sibi a me timere ulla regna vel imperia, quae ego potius trado, quam subjungam aut eripiam possessoribus eorum uti Imperatores & Monarchiae molitores.

O Christe placet mihi hoc regnum tuum, quia alia regna habent multum angoris. Sed audiam te de hoc amplius differentem.

§. 93. Si ex hoc mundo esset regnum meum ministri mei utique decertarent ut non traderer Iudaeis. v. 36.

Vt probaret praesidi gentili suum regnum non esse de hoc mundo argumentum ponit ei tale; si de hoc mundo esset regnum meum utique ex eo regno haberem militem conscriptum & ministros & proceres circa me ad mei custodiam corporis & decus. Patens est autem me tales non habere